

tione conditi sumus per Christum Iesum ad opera bona,⁸⁶ quae fides per dilectionem operatur, ut iustificati bene operemur, non bene operantes iustificemur. Igitur charitas nec ingreditur iustificationem, nec per se foecunda est, nec in se bonorum operum semina inclusa habet, nec denique fert ex se bonos iustitiae fructus, sed, sicut fructus ex se bonum succum non habet, sed ex sua arbore,⁸⁷ sic etiam charitas seu dilectio non ex se, sed ex fide, cuius est filia, fructus et effectus habet, quicquid habet, et, ubi fides non est viua et sincera, sed mortua, id est, non apprehendens misericordiam Dei, de qua fide Iacobus loquitur,⁸⁸ ibi neque dilectio vitam habet, sed extincta [98:] est cum matre sua, fide. Inde est, quod talis homo manet in morte, ut Iohannes inquit.⁸⁹

Deinde locus Pauli, 1. Timoth. I, pugnat ex diametro cum libro Interim: „Finitis“, inquit, „praecepti est charitas“,⁹⁰ hoc est, „summa decalogi huc redit, ut diligamus Deum et proximum“,⁹¹ Matth. XXII. „Et haec plenitudo legis est dilectio, sic ut nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis“,⁹² Rom. XIII. Sed animaduerte sententiam libri Interim, qui dicit charitatem hanc diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum et quod ingreditur iustificationem, item quod homo per charitatem vere iustificatur. Paulus aliter de charitate loquitur et ostendit nos iustificari debere ante charitatem. Enumerat enim tres fontes charitatis et instituit auream gradationem in hunc modum: Charitas, quam Deus in decalogo requirit, ex puro corde, purum cor ex conscientia bona et bona conscientia ex vera fide proficiscitur, ut quisque videat charitatem ex fide per duo haec intermedia, nempe bonam conscientiam et purum cor, promanare. Sic formatur charitas ex fide seu potius nascitur ut ex matre filia. Homo enim post agnitionem peccati et mortis perterre fit, perterrefactus erigitur fide, erectus fide pacem et bonam conscientiam habet erga Deum. Deinde cor eadem fide purificatum habet [99:] nimirum, quod haeret in sola Dei misericordia et charitate, quae diffusa est in tali corde, quod ex eodem Spiritu sancto procutit ex se charitatem erga Deum et proximum. Est igitur charitas in homine iustificato et corde purificato moderatrix omnium bonorum operum, quae sunt in decalogo mandata, quod Paulus finem praecepti seu plenitudinem legis vocat et eatenus opera decalogi distribuit ac moderatur charitas, quatenus cor hominis fide purificatum est et conscientia pacem habet erga Deum. Miramur ergo, quare autor libri tales locos pro sua opinione, cum contrarium velint, allegare praesumat.

⁸⁶ Vgl. Eph 2,10.

⁸⁷ Vgl. Mt 7,17.

⁸⁸ Vgl. Jak 2,17.

⁸⁹ Vgl. I Joh 3,14.

⁹⁰ I Tim 1,5.

⁹¹ Mt 22,39f.

⁹² Röm 13,8.